



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

§. 1. Sequentis historiæ Author laudatus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45653

clarat. Philo ita loquitur: Oportebat, quo magis elucerent meliora, etiam deteriora produci à potentia bonitatis summa, quæ Deus est.

Arcop. De diu. nom c. 8
S. Aug q 82.
ex 83 Ga-
zæus in suo
Theophras-
to. Philo l. 2
Allegoriar.

C A P V T XXIII.

Mirabile diuine equitatis & bonitatis, per Lupos, auxilia facientis exemplum.

Quoniam superiore capite ex profano authore ostendimus, diuinam bonitatem, etiam in vulpe liberatrice, succurrentem, atque è barathro, siue Ceadâ educentem, addam hîc, quod ab homine fide digno, pio, docto, & verè Religioso, eoque Societatis nostræ candidissimæ mentis sacerdote, ac sene audiui, quem meritò omnes ex Iouis tabulis testem dicebant esse potuisse, in quo dolus non erat, & in cuius ore non est inuentum mendacium. Is, cum aliquando nobis sermo, de varietate Dei homines ad Societatem nostram vocantis, incidisset, cum alto suspirio, mihi dixit, narraturum se admirabilem vocationem, stupendo modo, miserentis Dei, si ei promittere velim, me nomen eius non interrogaturum, de quo historiam verissimam vellet recitare; nam & nomen sibi constare, & notum virum; sed causas esse, cur non proderet. E quibus dictis, aliisque rebus, quas de eo noueram, aliud conijcere non potui, quàm illum ipsum esse, cui id euenisset. Præsertim quia sæpius postea rogantem me, vt nomen & personam interrogandi potestatem faceret, ille ipse me longè vehementiùs rogauit, ne interrogarem: vt proinde visus sit mihi, malle Deo taciturna humilitate, quàm apud homines vocatione prodigiosa notus esse. Quare, imitatione D. Iohannis Euangelistæ (qui & ipse, quæ de se refert, tanquam de tertio, solet commemorare) eum, cui ipsi omnia reliqua narrationi adiuncta quadrabant, in hunc ferè modum, & ordientem, & perorantem, sitientissimis auribus, audiui.

I.
Io. 1. 47. A.
poc. 14 5.

Adolescens erat, in terra Germania, non obscuris natalibus oriundus; neque opibus destitutus, si eum parentes pecunijs corrumpere voluissent. Sed illi alienis exemplis cautiores, cum eum, à se, ad studia litterarum amandarent, quia intelligebant, quàm magnum sit vectigal parsimonia, bonæ frugi filium facere maluc-

II.